

mutentur. Atqui huiusmodi vis activa in sensationibus non invenitur, quia hae, ipso Condillacho docente, sunt operationes passivae animae. Ergo attentio, iudicium, ceteraque huiusmodi actiones transmutationes sensationis esse nequeunt ¹.

CAPVT V.

De facultatibus appetendi

184. Nomine *appetitus* designantur illae facultates, quibus anima tendit ad res sensu, vel intellectu apprehensas, vel eas fugit, prout rationem boni, vel mali in illis deprehendit. Hinc postquam facultates cognoscendi exploravimus, ordo rei ex postulat, ut facultates appetendi investigemus.

ART. I. De appetitu in universum spectato

185. *Appetitus* a s. Thoma definitur: « Inclinatio rei, et ordo ad aliquam rem sibi convenientem ² », sive illa propensio, qua res ad bonum, idest ad perfectionem sibi consentaneam assequendam nituntur. In qua definitione includitur etiam *fuga*, sive *aversatio* a malo, quia res per idem principium, quo bonum appetunt, malum aversantur ³.

186. Hic monere praestat aliquando appeti malum, non tamen sub ratione mali, sed *indirecte*, sive *per accidens*, nempe, ut inquit s. Thomas, « quatenus bonum, cum quo coniungitur malum, magis appetitur, quam bonum, quod privatur per malum ⁴ ». E. g., leo occidens cervum intendit cibum, cum quo coniungitur occisio animalis.

187. Iam appetitus, quatenus constituit quoddam genus specialium facultatum, dicitur *elicitus*, quo nomine distinguitur ab appetitu *simpliciter naturali*. Appetitus *elicitus* est ille, quo anima ex cognitione sibi propria se movet, sive inclinatur ad bonum ⁵. Hinc, aiente s. Thoma, « desiderium in rebus cognoscantibus sequitur cognitionem ⁶ ». Appetitus *simpliciter naturalis* est, quo res, quae cognitione deslittuntur, tendunt ad fi-

¹ Cf Rosmini, *Breve esposizione della filosofia di M. Gioia*, n. 4.

² *Qq. disp.*, De Ver., q. XXV, a. 1 c.

³ Cf *Contr. Gent.*, lib. III, c. 3, n. 7. — ⁴ I, q. XIX, a. 9 c.

⁵ *Qq. disp.*, De Ver., q. XXII, a. 2 c. — ⁶ I, q. LXXV, a. 2 c.

nem suum ¹ per inclinationem sibi propriam, quam Deus, auctor naturae, unicuique illarum indidit; ita ut cognitio obiecti, quod appetunt, non sit in ipsis, sed in Deo, qui ipsas in proprium finem ordinavit ². Hic appetitus naturalis non est in anima quaedam specialis facultas, sed, ut alibi diximus ³, est communis omnibus animae potentiis, prout hae sunt quaedam res naturales, et efficit, ut ipsae ad exercitium actionum sibi propriarum naturaliter inclinent.

188. Appetitus eliciti duae species sunt, scilicet *sensitivus*, et *intellectivus*, quia cognitio obiecti, ex qua appetitus elicitus exoritur, non nisi sensitiva, vel intellectiva esse potest. Appetitus *sensitivus* est, quo res obiectum ita appetunt, ut ipsum percipiant, nec tamen rationem, propter quam appetibile sit, cognoscant. Appetitus autem *intellectivus*, sive *rationalis* dicitur, quo res in obiectum ideo inclinant, quod apprehendunt non solum ipsum, sed etiam convenientiam eius cum sui natura ⁴. Ex his colligitur 1° appetitum sensitivum esse proprium animalium, quia ipsa appetunt illud, quod apprehendunt sibi utile, et delectabile, ita tamen, ut minime cognoscant rationem, ob quam ipsum appetunt; 2° appetitum rationalem esse proprium naturarum, quae ratione pollent, quia hae cognoscunt non solum id, quod appetunt, sed etiam rationem, ob quam illud appetunt; 3° in homine utrumque appetitum inesse, quia ipse utriusque cognitionis est particeps. Ad quam rem illud observandum est, quod saepe ea, quae secundum sensum appetimus, secundum rationem aversamur, et vicissim. E. g., aegrotus medicinam appetitu sensitivo aversatur, et eandem ob spem sanitatis rationaliter appetit ⁵.

ART. II. De appetitu sensitivo

189. Illa propensio, qua animus in bonum sensibus propositum fertur, atque a malo etiam per sensus apprehenso refugit, nominatur appetitio sensitiva.

¹ Bonum, quod res appetunt, finis earum esse dicitur, quia « finis uniuscuiusque rei, aiente s. Thoma, est eius perfectio, perfectio autem cuiuslibet est bonum ipsius; unumquodque igitur ordinatur in bonum, sicut in finem; »; *Contr. Gent.*, lib. III, c. 16, n. 3.

² ¹ ² ^{ae}, q. VI, a. 5 ad 2. — ³ Cf p. 102.

⁴ I, q. LIX, a. 1 c. — ⁵ In *lib. III Sent.*, Dist. XLVIII, q. I, a. 4 sol.

190. Hic appetitus in *concupiscibilem*, et *irascibilem* dividitur. *Concupiscibilis* est ea facultas, qua anima tendit in bonum sensibile, apprehensum tamquam sibi consentaneum, et delectabile sensibus; et quia fuga mali consequitur ipsam inclinationem ad bonum, aversari malum, quod anima sibi noxium, et ingratum sensibus apprehendit, ad ipsum appetitum concupiscibilem pertinet¹. Appetitus autem *irascibilis* est ea facultas, qua anima tendit in aliquod bonum, quatenus apprehendit illud vim habere vincendi difficultates, quibus adeptio, aut possessio illius boni, quod appetimus, et fuga illius mali, quod aversamur appetitu sensitivo, impediuntur². E. g., appetitu concupiscibili appetimus cibum, et a veneno abhorremus; appetitu autem irascibili appetimus rixam, veluti bonum, quo resistimus iis, qui nobis viam obstruunt ad assecutionem cibi, vel venenum propinant. Hinc obiectum appetitus concupiscibilis dicitur esse *delectabile*, obiectum autem appetitus irascibilis dicitur esse *arduum*, quia hic appetitus tendit ad destruendas difficultates, quibus assecutio boni vel fuga mali impeditur, aut turbatur.

191. Ex his, quae diximus circa naturam appetitus irascibilis, consequitur illum spectare ad defendendum ea, ad quae appetitu concupiscibili trahimur. Etenim, uti ex iam dictis patet, cum concupiscimus aliquam rem delectabilem, cuius assecutio ardua est, exurgit appetitus irascibilis ad ea amovenda, quae illius consecutioni impedimento sunt, idque eo vehementiori praestat impetu, quo maior est cupiditas, qua in illam rem rapimur. Eapropter appetitus irascibilis originem ducit ab eo, quod appetitu concupiscibili expetimus, et desinit in tranquillam eiusdem adeptionem, vel fruitionem³.

192. Appetitus sensitivus, sive concupiscibilis, sive irascibilis, brutis, atque hominibus, ut iam diximus⁴, communis est. At tamen, prout in hominibus est, rationis imperio subditur; siquidem quilibet in seipso experitur, e. g., iram ex diversis rationis momentis concitari, vel augeri vel comprimi⁵. Quapropter huiusmodi appetitus, prout in homine est, *obediens rationi*, at-

¹ *Qq. disp.*, De Ver., q. XXV, a. 2 ad 2.

² I, q. LXXXII, a. 3 c. Cf. s. Aug., *Ep. ad Nebrid.*, Ep. IX, n. 4.

³ In lib. III Sent., Dist. XXVI, q. 1, a. 2 sol.

⁴ Cf. p. 159. — ⁵ I, q. LXXXI, a. 3 c.

que *participare aequaliter libertatem voluntatis* dicitur¹. Illud autem advertendum est, rationem non omnino pro suo arbitratu appetitum sensitivum moderari posse, tum quia in illius actum influit organum corporeum, cuius constitutio, atque habitudo non pendent a ratione, tum quia interdum actus huiusmodi appetitus ex apprehensione sensitiva *subito concitatur*, ac proinde antevertit regimen rationis².

ART. III. De appetitu rationali, sive de voluntate, et primum de eius obiecto

193. Appetitus rationalis est, uti diximus, inclinatio ad prosequendum bonum ratione apprehensum. Iam haec facultas ea est, quae *voluntas* nuncupatur. « Voluntas, inquit s. Thomas, est appetitus quidam rationalis³ ».

194. Circa obiectum voluntatis, nempe *bonum ratione apprehensum*, haec adnotanda sunt:

1° « Obiectum proprium voluntatis est bonum absolute⁴ », nempe *universe* acceptum, quia universale est illud, quod proprie a ratione apprehenditur. Hinc voluntas non inclinatur ad hoc, vel ad illud determinatum bonum, sed ad quodlibet ens inclinare potest, quia omne ens ex eo, quod est, particeps est communis rationis boni.

2° Cum dicitur obiectum voluntatis esse *bonum ratione apprehensum*, illud etiam significatur, quod bonum, cui voluntas adhaeret, ita percipitur, ut in eo deprehendatur ipsa ratio bonitatis, sive convenientiae, quam habet cum propria natura. « Si aliquod bonum, inquit s. Thomas, proponatur, quod apprehendatur in ratione boni, non autem in ratione convenientis, non movebit voluntatem⁵ ».

¹ In lib. III Sent., Dist. XII, q. 1, a. 1 sol.

² 1^a 2^{ae}, q. XVII, a. 7 c.

³ *Ibid.*, q. VIII, a. 1 c. Haec definitio voluntatis a plerisque nuperis Philosophis rejicitur, quia putant omnem appetitum esse necessarium, ac proinde voluntatem, si cum appetitu rationali confundatur, necessariam, non liberam dicendam fore. At nos omnino negamus omnem appetitum esse necessarium, quia appetitus rationalis ex eo, quod est rationalis, liber est, cum ratio, ut mox ostendemus, sit *radix* libertatis, sive in causa sit, cur voluntas libertate gaudeat.

⁴ *Qq. disp.*, De Ver., q. XXV, a. 1 ad 6.

⁵ *Ibid.*, De malo, q. VI, a. un. c.

3° Bonum, in quod voluntas fertur, *reale*, vel *adparens* esse potest, voluntas enim interdum fertur in aliquid veluti bonum, quod revera malum est, quia intellectus illud veluti bonum ipsi exhibet¹. Quare dicendum non est cum Saisseto² voluntatem interdum ferri versus malum, prout malum est, sed potius voluntatem interdum ferri versus malum, quod sub ratione boni apprehenditur.

4° Voluntatis obiectum non solum in *fine*³, sed etiam in mediis ad finem consistit; e. g., possumus non solum velle sanitatem, sed etiam deambulationem, tamquam medium ad assequendam sanitatem. Medium autem dicitur *volitum secundarium*, et finis *volitum principale*, et *causa volendi*⁴, quia finis est causa, cur media velimus. Rursus causa quaeri potest, cur ipsos fines velimus, e. g., cur velimus sanitatem; quocirca, ne infinitus progressus causarum sine principio existere dicatur, admittendus est finis, qui ad alium referri non potest, sed simpliciter, et absolute propter se appetitur, et rationem continet, cur cetera omnia appetantur. Hic *finis ultimus* nuncupatur⁵.

ART. IV. De actu voluntatis

195. Actus voluntatis, nempe *voluntarium*, ita definitur: *Actio ab interno principio procedens cum cognitione finis*⁶. Illa verba *ab interno principio procedens* significant actum voluntatis fieri ex propria voluntatis inclinatione. Illa autem verba *cum cognitione finis* denotant actionem voluntariam ferri in obiectum, quod apprehenditur veluti finis, seu veluti id, ad quod actio spectat, et cuius gratia fit⁷.

196. *Voluntario* opponitur *involuntarium* et *non voluntarium*. *Involuntarium* dicitur illud, quod non solum non pendet a voluntate, sed etiam huius inclinationi repugnat. Huiusmodi, e. g., est actio, quae fit per *violentiam*, sive *coactionem*, hoc est, ab exteriori principio oritur, obsistente voluntate, cuiusmodi est motus illius, qui ab equo rapitur, ut in vincula coniciatur. *Non voluntarium* autem dicitur illud, quod a voluntate non pro-

¹ 1^a 2^{ae}, q. XIII, a. 5 ad 2.

² *Diction. phil.*, art. *Liberté*. — ³ Cf p. 159, not. 1.

⁴ *Qq. disp.*, De Ver., q. XXIII, a. 1 ad 3, et *Contr. Gent.*, lib. I, c. 74, n. 3.

⁵ 1^a 2^{ae}, q. I, a. 4 c. — ⁶ *Ibid.*, q. VI, a. 4 c.

⁷ *Ibid.*, q. cit., a. 1 c.

ficiscitur, sed tamen voluntas ei non adversatur; e. g., *non voluntarii* sunt actus facultatum vegetantium, hi enim, cum sine ulla praevia cognitione fiant, voluntate non proficiscuntur, nec tamen voluntas ipsis adversatur. Voluntatis, prout refertur ad *involuntarium*, dicitur *nolle*, id est *velle non aliquid*. « Nolo hoc, id est, volo hoc *non esse*¹; prout autem refertur ad *non voluntarium*, dicitur *non velle*, nam *non voluntarium* in mera negatione voluntarii consistit.

197. Ex definitione, quam tradidimus, actus voluntarii facile est intelligere, quid inter *voluntarium*, et *spontaneum* intersit. Spontanea dicitur actio, quae ab interno quidem principio proficiscitur, praevia cognitione, qua apprehenditur obiectum, ita tamen, ut non cognoscatur relatio inter obiectum, atque actionem, quae ad illud ordinem habet. Voluntaria autem, si praevia cognitio eiusmodi est, « ut non solum apprehendatur res, quae est finis, sed etiam cognoscatur ratio finis, et proportio eius, quod ordinatur ad finem² ». Ex his colligitur 1° discrimen inter *voluntarium*, et *spontaneum* ex eo oriri, quod cognitio, quae actui praecedit, perfecta, aut imperfecta est; 2° Spontaneitatem in actibus quoque appetitus sensitivi sine concursu voluntatis locum habere, et actionibus quoque brutorum attribui, e. g., canis, audita heri voce, sua sponte ad eum accedere dicitur; 3° turpiter errasse Cousinium, qui actiones spontaneas non solum liberas, sed maxime liberas esse contendit³; cum enim actiones spontaneae etiam brutis convenient, ipsae perfecte voluntariae esse non possunt; tantum abest, ut omnium maxime liberae sint.

198. Denique actus voluntarius in *elicitem*, atque *imperatum* distinguitur. Actus eliciti sunt, qui per se ad voluntatem pertinent, ab eaque tamquam actiones eius propriae immediate producuntur; e. g., *velle*, *eligere*, *consentire*. Imperati dicuntur illi, qui per alias facultates a voluntate motas perficiuntur, ita ut ad voluntatem spectent, non prout ab ipsa producuntur, sed prout ipsa movet alias potentias ad exerendos actus sibi proprios⁴.

¹ *In lib. I Sent.*, Dist. VI, *Exposit. text.* — ² 1^a 2^{ae}, q. VI, a. 2 c.

³ *Vid. Fragm.*, Préf. à la 1^{re} édit. Cousinio adstipulatus est Saissetus, *Diction. phil.*, art. *Liberté*.

⁴ 1^a 2^{ae}, q. I, a. 1 ad 2.

ART. V. De causis, quae voluntatem ad suum actum movent

199. Illud moveri dicitur, quodcum sit in potentia ad plura, reducit in actum per aliquid, quod est actu. Iam voluntas, aequae ac quaelibet animae facultas, est in potentia tum quoad exercitationem actus, scilicet prout est in potentia ad agere, vel non agere, tum quoad specificationem, sive determinationem actus, nempe prout est in potentia ad agere hoc, vel illud. Quare voluntas indiget aliquo, quod eam moveat tum ad exercitationem, tum ad determinationem actus¹.

200. Prop. 1^a. Obiectum ab intellectu apprehensum illud est, quod voluntatem movet ex ea parte, quatenus ad specificationem actus spectat.

Probatur. « Appetitus non est nisi boni, quod sibi per vim cognitivam proponitur² »; quocirca « ipsum bonum apprehensum est movens appetitum³ »; atqui actus, ut saepe innuimus, ex obiecto, ad quod fertur, speciem suam sumit; ergo obiectum, sive bonum cognitum est illud, ex quo determinatur actus voluntatis, sive voluntatem movet ad determinationem actus.

201. Prop. 2^a. Voluntas in quibusdam suis actibus ab appetitu sensitivo movetur ex parte obiecti.

Probatur. Voluntas movetur ab apprehensione obiecti, tamquam boni, et convenientis. Atqui apprehensio boni, et convenientis potest mutari ex motibus appetitus sensitivi. Ergo voluntas ex parte obiecti moveri potest ab appetitu sensitivo.

202. Probatur minor. Cognitio boni, et convenientis non solum ex ipsa obiecti natura, quam intellectus deprehendit, sed etiam ex diversa habitudine hominis pendet. Atqui motus appetitus sensitivi habitudinem hominis variant. Ergo ex ipsis efficitur, ut cognitio boni, et convenientis mutetur. E. g., illud, quod videtur conveniens ei, qui ira flagrat, huiusmodi non iudicatur ab eo, qui pacato est animo⁴.

203. Diximus 1^o in quibusdam actibus; nam sunt multi actus voluntatis, in quibus appetitus sensitivus nullam habet partem. Huiusmodi sunt, e. g., amor iustitiae, amor veritatis, aliique

¹ 1^a 2^{ae}, q. IX, a. 1 c.

² Qq. disp., De Ver., q. XXIV, a. 2 c. Cf p. 158-59.

³ Qq. disp. cit., q. XXII, a. 2 c. — ⁴ 1^a 2^{ae}, q. LXXVII, a. 1.

id genus. Diximus 2^o ex parte obiecti, ut intelligatur appetitum sensitivum nihil in voluntatem directe agere, quia ipse est potentia voluntate inferior¹.

204. Prop. 3^a. Voluntas ad exercitationem actus tum a seipsa, tum a Deo movetur².

Probatur 1^a pars. In volitionibus finis est illud, in quod voluntas primo intendit; quapropter in volitionibus finis merito comparatur cum eo, quod in iis, quae ab intellectu cognoscuntur, dicitur principium. Atqui intellectus ex assensu principiorum seipsum movet ad assentiendum conclusionibus. Ergo voluntas ex volitione finis seipsam movet ad volitionem eorum, quibus finem consequi potest³.

205. Ex qua argumentatione deducitur nullam repugnantiam in eo agnoscendam esse, quod voluntas seipsam movet, quasi sit simul in actu, prout se movet, atque in potentia, prout movetur; nam, ut inquit s. Thomas, « non secundum idem voluntas est in actu, et in potentia, sed in quantum actu vult finem, reducit se de potentia in actum respectu eorum, quae sunt ad finem, ut scilicet actu ea velit⁴ ».

206. Quod si quaeratur, quid sit, quo voluntas, in aliquem finem intendens, seipsam moveat circa ea, quae sunt ad finem, respondetur illud consistere in eo, quod voluntas intendens in aliquem finem, vult, ut intellectus instituat consultationem, sive illam actionem, qua intellectus media investigat, eorumque utilitatem ponderat. Et sane, cum voluntas aliquem finem sibi praestituit, e. g., sanitatem, opus ei est eligere medium ad illius consecutionem opportunum, e. g., potionem; et haec electio, ut postea dicemus, haberi non potest sine praecedenti consultatione intellectus. Atqui haec consultatio intellectus a voluntate imperatur. Ergo voluntas est, ex qua actio circa electionem mediorum exordium habet, ac proinde seipsam ad ea, quae sunt ad finem, movere iure dicitur. « Voluntatem accipiendi potionem praecedit consilium, quod quidem procedit ex voluntate volentis consiliari⁵ ».

207. Probatur 2^a pars. Voluntas non semper actu intendit in

¹ I, q. CXI, a. 2 ad 3. — ² 1^a 2^{ae}, q. LXXX, a. 1 c.

³ Qq. disp., De malo, q. VI, a. un. c. — ⁴ 1^a 2^{ae}, q. IX, a. 3 ad 1.

⁵ Qq. disp., De malo, loc. cit.

aliquem finem, e. g., sanitatem, neque semper actu vult et intellectus consultationem circa media instituat. Atqui a illud agens, quod quandoque est in potentia, et quandoque in actu, indiget moveri ab aliquo movente ¹. Ergo voluntas aliquo movente indiget, ut primum suum actum exerat, quo in aliquid intendere incipiat, et velit cognoscere ex consilio intellectus media ad illud assequendum. Atqui hoc movens non potest esse ipsa voluntas, sed debet esse aliquid agens extrinsecum, et hoc agens extrinsecum non nisi Deus esse potest. Ergo.

208. Huius *minoris* veritas ita demonstratur: 1° Illud movens non potest esse ipsa voluntas. Et sane, quemadmodum ex dictis constat, et ex dicendis clarius patebit, actus voluntatis sine praevia consultatione intellectus, et haec consultatio sine alia praevia volitione haberi non potest. Quapropter, si voluntas ad primum actum seipsam moveret, haec volitio praevia consultationem intellectus, et haec consultatio aliam volitionem expostularet, et rursus haec alia volitio aliam consultationem, et haec alia consultatio aliam volitionem, et sic deinceps, ita ut infinita series consultationum, atque volitionum admittenda esset. Atqui id perabsurdum est, quia notio seriei infinitae repugnat. Ergo voluntas ad primum actum ab aliquo agente extrinseco movetur ². 2° Hoc agens extrinsecum, quod voluntatem ad primum actum movet, non nisi Deus esse potest. Et sane, a operatio voluntatis est inclinatio quaedam volentis in volitum. Hanc autem inclinationem solus ille immutare potest, qui virtutem volendi creaturae contulit; sicut et naturalem inclinationem solum illud agens potest mutare, quod potest dare virtutem, quam consequitur inclinatio naturalis. Solus autem Deus est, qui potentiam volendi tribuit creaturae: quia ipse solus est auctor intellectualis naturae ³.

ART. VI. De libertate voluntatis humanae,
et primum de libertate a coactione

209. *Libertatis* nomine hic venit illa voluntatis proprietas, per quam ipsa in suis actibus exerendis a necessitate est immunis. Duplex autem, cum de libertate voluntatis humanae quaestio

¹ 1^a 2^{ae}, q. IX, a. 4 c. — ² Qq. *dispp.*, De malo, loc. cit.

³ I, q. CVI, a. 2 c.

est, necessitas distinguitur, scilicet *externa*, atque *interna*. Necessitas externa, sive *coactio*, est quae ab externo principio infertur alicui contra propriam ipsius inclinationem. Necessitas autem interna consistit in quodam propensione, qua agens impellitur ex propria sua natura ad aliquid prosequendum, unde *necessitas naturae* etiam appellari solet. Hinc duplex libertas distinguitur, nempe libertas a *coactione*, et libertas a *necessitate naturae*. Illa tantummodo externam vim excludit, qua voluntas hominis invita, ac reluctans contra propensionem suam ad actus impelli possit. Haec autem excludit quamcumque vim tum externam, tum internam, ita ut voluntas prorsus domina sit actuum suorum; unde etiam *libertas arbitrii*, vel *liberum arbitrium* appellari solet.

His praestitutis, inquirendum in primis est, utrum voluntas libertate a *coactione* gaudeat.

210. Prop. *Voluntas in singulis actibus sui propriis, et intrinsicis libera est a coactione.*

Probat. Si actus proprius voluntatis fieret per coactionem, nempe a vi extrinseca cogereetur, ipse secundum, et contra inclinationem voluntatis simul esset; scilicet esset secundum inclinationem voluntatis, quia actus proprius voluntatis in eo consistit, quod voluntas in aliquid inclinat, perinde ac quidquam naturale alicui rei esse dicitur, si inclinationi naturae eius sit consentaneum; esset autem contra inclinationem voluntatis, quia id, quod per coactionem fieri dicitur, inclinationi voluntatis adversatur ¹. Atqui aliquid secundum, et contra inclinationem voluntatis fieri repugnat. Ergo actus proprius voluntatis a quadam vi extrinseca cogi repugnat, ac proinde voluntas in actibus sui propriis libera est a coactione ².

211. Hanc veritatem intima cuiusque experientia confirmat; siquidem quisquis vel plebeius conscius sibi est se a nulla vi extrinseca impelli posse, ut velit quod non vult, aut nolit quod vult.

212. Diximus *in actibus sui propriis, et intrinsicis*; nam violentia inferri potest in actus, qui a voluntate imperantur, et sine membris corporis perfici nequeunt. At vero violentia in hos actus infertur, non quatenus ipsi actus, qui a voluntate proma-

¹ Cf p. 162. — ² Cf s. Anselm., De lib. arb., c. 6.

nant, efficiuntur per coactionem, sed quatenus « membra corporis impediuntur, ne voluntatis imperium exequantur ¹ ». E. g., sume aliquem ad supplicium trahi; certe tota vis, et coactio trahentis numquam efficient, ut ille velit ad supplicium trahi, aut nolit id, quo opus est, ut ad supplicium non trahatur ². Quod si reus aliquando suppliciorum immanitate defatigatus confitetur crimen ab se patratum, voluntas eius revera non cogitur, quia ipse reipsa vult hanc confessionem, quia illam instar boni apprehendit, nempe tamquam opportunam finiendis tormentis. Hinc fit, ut reus, etiamsi permulta, et exquisita tormenta patiatur, tamen possit numquam suum animum inducere ad illam confessionem, si nullam boni rationem in ea deprehendit ³.

ART. VII. Declaratur natura libertatis arbitrii

213. Libertas arbitrii, ut s. Thomas inquit, consistit in potestate aliquid eligendi ⁴; nam libertas arbitrii, ut diximus, reddit voluntatem immunem a quavis naturali necessitate, ac proinde efficit, ut ipsa dominetur suis actibus ⁵; voluntas autem suis actibus dominari dicitur ex eo, quod potest hoc, vel illud eligere ⁶.

214. Ex eo autem, quod libertas arbitrii consistit in electione, sive, ut idem s. Thomas inquit, in *praeceptione unius respectu alterius* ⁷, deducitur contra Waddingtonum-Kastum ⁸, aliosque, libertatem arbitrii, prout homini convenire potest, expostulare momentorum consultationem, seu deliberationem, quae constituitur ex eo, quod voluntas, cum intendit in aliquem finem, investigat naturam mediorum, eorumque utilitatem ad illum finem assequendum. Et sane, non potest unum prae alio medio eligi, nisi natura mediorum, eorumque utilitas ad finem assequendum agnoscantur. Atqui homines haec non nisi per ratiocinationem, ac proinde per deliberationem cognoscere possunt. Ergo deliberatio est accidens necessarium libertatis humanae ⁹.

215. Libertas arbitrii vocatur etiam libertas indifferentiae, quo

¹ 1^a 2^{ae}, q. VI, a. 4 c. — ² *Ibid.*, loc. cit.

³ *Ibid.*, q. cit., a. 6 ad 1. — ⁴ I, q. LXXXIII, a. 3 c.

⁵ Cf p. 166. — ⁶ I, q. LXXXII, a. 1 ad 3.

⁷ 1^a 2^{ae}, q. XIII, a. 2 c. — ⁸ *De l'ame humaine*, c. 5, sect. 2.

⁹ *In lib. I Sent.*, Dist. XI, q. I, a. 2 sol. Exinde magis patescit error Cousinii, qui, ut diximus (p. 163), actiones spontaneas cum liberis confundit.

nomine significatur eum, qui agit libertate arbitrii, non esse determinatum ad unum, sed dum unum agit, aliud quoque agere posse.

216. Haec autem indifferentia versari potest vel circa actum, quatenus voluntas potest velle, vel non velle; vel circa obiectum, quatenus voluntas velle potest hoc, vel eius oppositum, vel aliud quidpiam ¹. Hinc exurgit distinctio *libertatis indifferentiae* in libertatem *contradictionis*, *contrarietatis*, et *specificationis*. Libertas *contradictionis*, vel *exercitii* consistit in eo, quod in potestate voluntatis est elicere, vel non elicere aliquem actum, e. g., *amare*, vel *non amare aliquid*; libertas *contrarietatis* consistit in eo, quod voluntas potest velle aliquod obiectum, aut eius oppositum; libertas *specificationis* consistit in eo, quod voluntas potest velle hoc, aut quidpiam aliud.

217. At vero, indifferentia, quae *contradictionis* dicitur, ad libertatis essentiam constituendam sufficit; nam, etsi voluntas non possit agere contrarium, vel quidpiam aliud, tamen, dummodo possit actiones suas elicere, vel ab eis abstinere, sui iuris est, et dominium in actiones ipsas exercet ².

218. Praeterea, indifferentia considerari potest etiam ex illa parte, quatenus actiones ad ultimum finem spectant, nempe « in quantum voluntas potest appetere id, quod secundum veritatem in debitum finem ordinatur, vel secundum apparentiam tantum ³ ». Si indifferentia ex hac parte consideretur, inde illa libertas exurgit, quae in potestate recte, aut prave agendi consistit.

219. Haec autem indifferentia recte, vel prave agendi ad naturam liberi arbitrii non requiritur ⁴; nam potestas prave agendi, sive peccandi a fine, ad quem libertas destinatur, deficit, ac proinde non spectat ad essentiam libertatis ⁵, sed potius tamquam vitium libertatis habenda est ⁶. Quare ipsa, uti s. Thomas inquit, non nisi *aliquod signum libertatis est*, sicut aegritudo est signum vitae ⁷.

¹ *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. XXII, a. 6 c.

² *Contr. Gent.*, lib. II, c. 47. — ³ *Qq. disp.*, *De Ver.*, loc. cit.

⁴ *In lib. II Sent.*, Dist. XXV, q. I, a. 1 ad 2.

⁵ Cf s. Anselm., *De lib. arb.*, c. 1.

⁶ Cf s. Thom., I, q. LXII, a. 8 ad 3. — ⁷ *Qq. disp.*, *De Ver.*, loc. cit.

ART. VIII. *Inquiritur, an sit in homine libertas indifferentiae*

Declarata natura libertatis indifferentiae, inquirendum est, utrum ea voluntati humanae concilianda sit.

220. Prop. 1^a. *Voluntas non est libera libertate indifferentiae circa bonum universale, et perfectum, nempe beatitudinem.*

Probat. Cuiuslibet naturae proprium est ad finem sibi praestitutum a Deo naturalem ordinem habere, illumque naturaliter appetere. Atqui voluntas inspicienda est non solum prout voluntas, sed etiam prout quaedam natura est; et finis, ad quem ipsa a Deo ordinatur, est bonum universale, et perfectum, nempe beatitudo. Ergo voluntas appetit bonum universale, et perfectum ex suae naturae constitutione, et non ex propria electione, ac proinde circa illud non est libera libertate indifferentiae¹.

221. Praeterea, obiectum voluntatis est bonum intellectu apprehensum; ac proinde illud bonum, in quo nulla ratio mali apprehendi potest, nempe bonum universale, et perfectum, est obiectum adaequatum voluntatis, idest totam eius capacitatem explet. Atqui voluntas circa obiectum sibi adaequatum nullum dominium, nullamque eligendi virtutem exercere potest, quia huic obiecto tota voluntatis *possibilitas*, sive *capacitas subditur*². Ergo voluntas circa bonum universale, et perfectum nullum dominium, nullamque eligendi virtutem exercere potest, ac proinde non est libera libertate indifferentiae.

222. Prop. 2^a. *Voluntas circa bona particularia gaudet libertate indifferentiae.*

Probat. Illud obiectum ex necessitate voluntatem movet, quod est ipsi adaequatum, nempe in quo nulla ratio mali apprehendi potest. Atqui « huiusmodi non sunt bona particularia, quia in omnibus particularibus bonis potest (*intellectus*) considerare rationem boni alicuius, et defectum alicuius boni, quod habet rationem mali³ ». Ergo bona particularia voluntatem ex necessitate movere non possunt; ac proinde voluntas ita ea vult, ut potestatem ea non volendi habeat⁴.

223. Praeterea, voluntas tendit ad bona particularia *non per modum naturae*⁵. Atqui voluntatem tendere ad aliquid *non per*

¹ Cf s. Aug., *Conf.*, lib. X, c. 20, n. 29 sq. et s. Thom., 1^a 2^{ae}, q. X, a. 1 c.

² I, q. LXXXII, a. 2 ad 2. — ³ 1^a 2^{ae}, q. XIII, a. 6 c.

⁴ *Ibid.*, q. X, a. 2 c. — ⁵ *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. XXIII, a. 4 c.

modum naturae, idem est, ac ipsam non esse determinatam ad illud, eo modo, quo causae naturales sunt determinatae ad unum. Ergo voluntas circa bona particularia gaudet *et electionis, seu libertate indifferentiae*.

224. Maior ita demonstratur. *Voluntas per modum naturae* tendit ad beatitudinem, et ad media, quae cum illa necessario colligantur. Atqui bona particularia non constituunt beatitudinem, ipsaque vel non sunt media, quae cum illa necessario colligantur, vel, etsi quaedam eorum ad illam necessario referantur, tamen haec relatio evidens nobis non est, quia omnes quidem norunt beatitudinem esse perfectum bonum, sed nemo, dum in hac vita versatur, naturaliter apprehendere potest obiectum illud reale, quod beatitudinem reipsa constituit, nempe Deum, uti in seipso est, perfectum bonum. Ergo voluntas ad bona particularia non tendit *per modum naturae*¹.

225. Argumenta, quibus voluntatem libertate indifferentiae circa bona particularia gaudere ostendimus, adeo firma sunt, ut rem plane definiant; ipsa enim a propria, ac intima eius natura petita sunt. Sed quoniam omnibus impiis Angliae, Hollandiae, et Galliae scriptoribus saec. XVII, et XVIII, puta Hobbesio, Collinsio, Bayleo, Helvetio, Lametrio, nihil magis cordi fuit, quam ut hoc capitale dogma ethicae, et Theologiae tollerent, alia argumenta adiciere iuvabit, quae non quidem solidius, sed luculentius libertatis existentiam patefaciunt.

1^o Assidua experientia luculenter edocemur nobis inesse facultatem

¹ I, q. LXXXII, a. 2 c. Exinde intelligitur, cur voluntas hominis, dum homo in hac vita versatur, non ex naturae necessitate, sed ex propria determinatione ad Dei amorem feratur. « Etenim Deus, ut inquit Caietanus (in cit. art. 2 q. 82), etsi sit in se maius, et eminentius universale bonum, quam beatitudo in communi, tamen non est evidens, et apparens nobis sub tali ratione, sicut beatitudo ». Ex quo fit, ut iudicium, quo ratio decernit Deum amandum esse, fiat *cum indifferentia*, scilicet ita ut aliter etiam fieri possit; quocirca volitio, quae consequitur hoc iudicium, non determinatur ex necessitate naturae. « Deus, inquit s. Thomas, dupliciter potest considerari, vel in se, vel in effectibus suis. In se quidem, cum sit ipsa essentia bonitatis, non potest non diligi; unde ab omnibus videntibus Eum per essentiam diligitur, et ibi, quantum quisquis cognoscit, tantum diligit. Sed in aliquibus effectibus suis, in quantum sunt contrarii voluntati, sicut poenae illatae, vel praecepta, quae gravia videntur, ipse Deus refugitur, et quodammodo odio habetur »; *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. XXII, a. 2 ad 3. Cf etiam *In lib. IV Sent.*, Dist. L, q. II, a. 1 sol. 5 c.